

Heinrich Rahn

Rector Universitatis Rostochiensis, Henricus Rhane, I.U.D. & Profess. P. Ad Exequias, Quae ... Margarethae Stalmeisters/ hodie parabuntur. Cives suos in aedem D. Jacobi ... vocat : [PP. Rostochi Anno MDCXXXIIX. Die XXVII. Iunii]

Rostochi[j]: Kilius, 1638


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn77467623X>

Druck Freier  Zugang



Rhane, H.,
in
M. Stalmeister,
uxor. J. Grothe.
Rostock. 1638.


30



RECTOR
Universitatis Rostochiensis,
HENRICVS RHANE,
J. U. D. & Profefs. P.
AD EXEQUIAS,

Quæ
Pudicissimæ elegantiq; femine
MARGARETHÆ
STARCKEJSLERS/
hodiè parabuntur.

*Cives suos in adem D. Jacobi ad horam in meri-
die primam serio ac diligenter vocat.*



ROSTOCHI,
Typis NICOLAI KILII, Academ. Typogr.

Anno M DC XXXIX.



FUnera funeribus quoti-
diè condensanrur, Cives Acade-
mici, quotus autem quisq; veſtrū
eſt, qui iſta penſi habet? Tām fre-
quenter vobis ex publica tabula
de morte commentamur, ecquis verò eſt, qui
illam religioſè meditetur? Adeò frequens ſcili-
cet ſepeliendi materia nobis ſuppeditatur, ut vix
unus decedat dies, quo non conqueri neceſſe ha-
bemus. Docti, indocti, Maximi, infimi, Nobi-
les, Cives, ſenes juvenes; omnes, inquam, nati
unâ pariter eâdemq; lege moriuntur. Quod ſi
ita nobiſcum ſaltim comparatum eſſet, ut mors
non niſi feſſos ætate atque ex hauſtos, quod na-
turale quàm maximè videtur, tolleret, ferendum
hoc malum nobis æquo animo eſſet. Cum verò
eadem obeundi lex nos ita alliget, ut immunis
nulla ætas, omniſque conditio ei ſubjecta ſit at-
que obnoxia, factum proh dolor eſt, ut pudiciſ-
ſima hæc & Patritia Conjux, in ipſo mediæ ſtata-
que ætatis flore nudius tertius decederet, cum
nondum ipſos triginta & tres annos confeceſſet.
Quod ipſum tempus eſt, de quo Poëta Princeps
canit.

Optima

*Optima quæq; dies miseri mortalibus evi
Prima fugit : Subeunt morbi tristisq; senectus,
Et labor, & duri rapit inclementia teli.*

Nata autem est nostra **MARGARETHA Stalmeister** in hac urbe ab honestissimis honoratissimisq; parenibus, Anno suprâ millesimum sexcentessimum quinto, ipso D. Bartholomæi die. Patrem habuit virum Magnificum atq; Consul-tissimum Dn. **HENRICUM Stalmeister** Jctum, Consulem primùm hujus Reipub. Amplissimū, postea Regiæ Majestatis in Dania Consiliarium, & Episcopatus Sverinensis Cancellarium, cujus Viri ejusq; meritorum in hanc Rempub. post tot annos recens apud nos memoria est. Quamvis alia quoq; sint, quæ non amare in eo boni ac colere, sed admirari etiam potuerunt. Avum ex paterna familia feliciter adeptam est **JOHANNEM**, Consulem Padebornensem optimè meritum, qui ad clavum istius Reipub ipsos quadraginta annos magna cum laude sedit, Dicasteriiq; Episcopalis assessoratnm gessit. Proavus defunctæ nostræ fuit itidem Consul Amplissimus **M. LUBERTUS Stalmeister**/qui pari cum laude, & raro admodum exemplo, patriæ Reipub. fasces Cōsulares per annos unū & sexaginta gubernavit, annumq; vitæ sextum & nonagesimum attigit. Matrem *Margaretham* nostram, ut porrò genealogiam

Bb 2

mater-

maternam pertexamus, nacta MARGARETHAM
CLINGIAM, matronam honestissimam, & boni
nominis foeminam, Magnifici Consultissimiq;
BARTHOLOMÆI CLINGI I Cti, & Academiae
hujus Antecessoris celeberrimi, Illustris. Ducum
Megapolitaniae per complures annos Consilarii
meritissimi Filiam, Ex hac antiqua & honorata
familia nostra MARGARETHA, cui iusta jam per-
solvimus, oriunda fuit, quae illustres virtutes illas,
à Majoribus continuatas, quibus ipsa quoq; præ-
dita, cum lacte quasi materno imbibit. Primi
statim nascentis dies Christum Sacri Baptismatis
lavacro induerunt, receptamq; in gratiam & foe-
dus Dei recens natam, Spiritus sancti donis per
istud tenerum, & reliquum maturae ætatis tempus,
quasi continuato munere prosequuti sunt. Jam
tum enim in prima infantia blanda & benigna
indoles in ipsa haud obscure elucere coepit. Post-
quam verò anni maturiores accesserunt, illi ma-
jora utiq; cum à flore corporis, tum animi præ-
sentia pollicebantur, Parentumq; virtus subin-
de magis magisq; in ea enitebatur atq; erumpe-
bat. Quae profectò tantam fragrantiam, & bonae
famae odorem de se sparsit, ut hinc per motus fue-
rit Patritius hujus urbis florentissimus Dn. JO-
HANNES Brothe / nostram MARGARETHAM
tum virginem, matrimonio sibi jungere, quam-
que

que consensu impetrato Anno quoq; eurrentis
seculi vigesimo quinto, die 31 Maij sibi copulavit.
Vixit itaq; cū marito suo in conjugio tredecim
annos satis benè, quanquam Deus amaritudines
nonnullas deliciis conjugalibus immiscuerit,
quas tamen non minus æquo, quam forti con-
stantiq; animo pertulit, seque bona conscientia
semper solata est. Mater etiã facta trium liberũm
adhuc superstitem, unius duntaxat filii J O H A N -
N I S, Patri cognominis, & duarum filiarum M A R -
G A R E T H Æ scilicet & A G N E T Æ, quas una cum filio
bonis moribus, à primis, quod ajunt, ungviculis
imbuit, pietatis cum primis semina iniecit, iisque
non tam verbis, quàm exemplo, ut laudatissima
mater, prævit. Domui suæ non nisi ut circum-
specta mater familias præfuit, remq; familiarem,
licet destituta hâc in parte consilio mariti, pru-
denter administravit. Erga exules, & pauperes
fuit liberalis, verecūda, benigna erga extraneos,
comis erga propinquos & amicos, Dei cum pri-
mis & Servatoris sui pertinacissima, quem per to-
tum vitæ curriculum præ cæteris rebus omnibus
filiali timore coluit, eundemq; pectori suo in-
clusum perpetuò fovit ac nutrit, qui propterea
cum illa maturavit ex hâc miseriarum valle, post-
quam populari hoc morbo, qui undiq; per civi-
tatem non tam serpit quàm grassatur, correpta
fuit

fuit ante quatuordecim dies. Lecto autem affixa
sedulo se præparavit ad felicem ex hac vita exitum,
seria peccatorum agnitione, veraq; in Christum
Servatorem fide, cujus *λόγος* pro omnibus
hominum peccatis sufficientissimo unice nitebatur,
omniaq; sua divinæ voluntati committebat.
Eo animo & affectu constanter quoq; permansit,
usq; dum extrema vitæ hora appeteret, atq;
Imperator mundi eandem è statione sua avocaret,
quod factum est nudius tertiu, shora septima
matutina. Fruere jã beatissima anima deliciis
illis, quas fidelibus Numinis sui cultoribus
Christo paravit, scilicet, quas nec oculis vidit,
nec mens mortalis animo complecti unquam valuit.
Et quis, quæso, piè defunctæ nostræ MARGARETHÆ
hanc felicitatem invideret? Præsertim cum
certò sciamus, nos mortales ea lege damnatos esse,
ut nemo perpetuò hic esse possit. Nihil præterea
proprii sic possidemus, qui ipsimet peregrini
in terris ac hospites sumus, *πίπυμα* vero nostrum
in coelis sit, neq; manentem hic civitatem habeamus,
sed futuram inquiramus. Taceo quantis
miseriis & calamitatibus hæc vita nostra sit circumdata,
quot illa vicibus atq; casibus exposita atq;
obnoxia? Cujus miserias ipsa hæc ætas eò duriores
facit, quippe quâ nulla æquè ferrea & conclamata
magis fuit. Illi verò, quos hic inopinat

natus

natus mortis casus quàm maximè tangit, existimant omnia hæc, quæ jam patiuntur, à Deo ejusque nutu pendere, sibiq; nihil sine decreto aut voluntate supremi Rectoris accidere posse. Et profectò cælo ipsi videntur bellum indicere ii, qui tempora sua non æquo satis animo sustinent, & cum solum dolorè audiant, nec religione Numinis, nec allocutionibus amicorum à luctu suo ac ægritudine se revocari patiantur. Quapropter cum hæc manere fortuna illos jam debuit, id danda iis opera est, ut patienter ferendo illam superent, & ita apud animum statuunt, æternùm beatos illos esse, qui ex lugenti campo ad sempiternam felicitatem, & eam vitam commigrârunt, quæ nec temporũ metis, nec beatitudinis modo circumscribitur; minùs vero calamitosos eos, quos amisere: ut qui non tam morte subtracti sunt, quàm singulari benevolentia Numinis ex iniquissima vitæ conditione erepti. Neq; desideret quis magnopere suos, qui patriam ipsam cottidiè videat morientem. Agite igitur, Cives Academici, & piis manibus justa persolvite, quamq; benevolentiam aliis ultrò concessitis, illam, admoniti à nobis, imprimis exhibete honoratissimæ & de Academia nostra optime meritæ CLINGIANÆ fami-

Familia: Ita enim futurum est, ut lugentes, ves-
tra hac benevolentia, dolorem ex hoc tristi obi-
tu conceptum nonnihil sublevari ac mitigari
sentiant. Ite ergo mecum exequias, & hora pri-
ma in templo Academico, quod est Jacobæum,
frequentes comparete. P. P. Rostochi
Anno M DC XXXIX. Die
xxvii. Junij.





quē consensu impetrato Anno quō
seculi vigesimo quinto, die 31 Maij
Vixit itaq; cū marito suo in conjug
annos satis benè, quanquam Deus a
nonnullas deliciis conjugalibus i
quas tamen non minus æquo, qua
stantiq; animo pertulit, seque bon
semper solata est. Mater etiã facta tr
adhuc superstitum, unius duntaxat
NIS, Patri cognominis, & duarum fi
GARETHÆ scilicet & AGNETÆ, quas
bonis moribus, à primis, quod a jun
imbuit, pietatis cum primis semina
non tam verbis, quàm exemplo, ut
mater, prævit. Domui suæ non
specta mater familias præfuit, rem q
licet destituta hâc in parte consili
denter administravit. Erga exule
fuit liberalis, verecūda, benigna er
comis erga propinquos & amicos,
mis & Servatoris sui pertinacissima
tum vitæ curriculum præ cæteris re
filiali timore coluit, eundemq; p
clusum perpetuò fovit ac nutrit, ut
cum illa maturavit ex hâc miseriar
quam populari hoc morbo, qui u
tatem non tam serpit quàm gravis

Bb 3

